



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 53. Passaviensis Ecclesia a jure Metropolitico Salisburgensis
Archiepiscopi exempta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII. „tarum sancti Augustini factam, suis
 A. C. 1728. „Apostolicis literis incipientibus, *Pia*
 „*caritas*, adprobavit, nos quoque judi-
 „cium Episcopi Ticinensis de veritate
 „Corporis sancti Doctoris, ut apud
 „Christifideles notius & manifestius e-
 „vadat, ac devotio erga Augustinum
 „magis inflammetur, tenore præsen-
 „tium ratum & gratum habentes, ex
 „certa scientia, atque etiam motu pro-
 „prio, Apostolica auctoritate unde-
 „quaque adprobamus & confirmamus,
 „& perpetuis futuris temporibus fir-
 „mum semper & validum esse & fore
 „decernimus, non obstantibus quibus-
 „cumque. „

Hæc tamen Pontificis declaratio non obstabat, quominus quidam Italo sermone libellum, cui titulus: *Motiva negandi Corpus S. Augustini fuisse reperi- tum*, Anno 1731. publici juris faceret, & majore, quam decuisset acerbitate, refelleret Justum Fontaninum, qui eruditam *dissertationem de corpore S. Augustini Ticini reperto*, hoc Anno 1728. Romæ ediderat.

§. LIII.

*Passaviensis Ecclesia a jure Metro-
 politico Salisburgensis Archi-
 episcopi exempta.*

Ingens

Ingens non minus, quam diuturna
 agitabatur controversia inter Salis-
 burgenses Archiepiscopos, atque Epi-
 scopos Passavienses; hujus litis, quæ
 plusquam nongentos annos tenuit,
 epocha atque origo repetenda est ab
 eo fatali casu, quo circa annum Do-
 mini 570. Hunni Avars unacum Sla-
 vis universam ferme regionem & præ-
 cipue Laureacum Urbem in superiori
 Austria, ubi Anisus sese in Danubium
 infundit, sitam devastabant. Præerat
 semper huic Urbi Archiepiscopus vulgo
 Laureacensis dictus, cujus Suffraganei
 erant Salisburgensis & Passaviensis Epi-
 scopi; excisa autem urbe hunc Archi-
 episcopatum non penitus extinctum,
 sed cum Passaviensi conjunctum seu
 potius Archiepiscopalem dignitatem in
 Passavienses translata fuisse, contem-
 debant Passavienses: id saltem certum
 est, quod Vivilo a Gregorio III. Papa
 Laureacensis Antistes circa Annum
 735. creatus Pataviam profugerit, ibi-
 demque Sedem fixam habuerit. Anno
 autem 798. Salisburgensis Ecclesia in
 Archiepiscopalem fuit erecta, cui Pas-
 saviensis tum erat subjecta: Eugenius
 tamen II. Papa Pataviensem Episco-
 pum nomine Urolphum ad Laureac-
 ensium Archiepiscopatum Anno 818.
 evexit reclamante Salisburgensi; ni-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1728.

Bull. l. c.

pag. 357.

Hansiz

Germ. S.

Tom. II.

pag. 874.

Sæc. XVIII
A. C. 1728.

hilominus Anno 822. Reginerius Urolphi Successor contra Arnonem solemniter unacum Pallio Archiepiscopalem dignitatem obtinuisse, & postea Hatto Episcopus Passav. Legationem cum honore Pallii circa Annum 825. per has Provincias obiisse dicitur. Insuper Leo VII. in Sæculo X. seu Anno 937. Gerardum Passaviensem Episcopum cum titulo Archiepiscopi Laureacensis & Legati Pontificii emisit, obstrepente Egilolpho Salisburgensi Archiepiscopo. Hanc litem diremit Agapetus II. Papa qui decrevit, ut Archiepiscopalis dignitas Salisburgensi in Occidentalem & Passaviensi in Orientalem Pannoniam competeret, ea lege, ut si Heroldus Salisburgensis reclamaret, Archiepiscopali dignitate privaretur, in Passaviensem transferenda: Favebat tamen Friderico Salisburgensi Archiepiscopo Anno 972. Benedictus VI. qui eidem novo decreto Archiepiscopalem dignitatem in universum Noricum & Pannoniam asseruit. Ex adverso Passavienses opponebant, quod Benedictus VII. Anno 975. Piligrinum Passaviensem Episcopum rursus Laureacensem Archiepiscopum creaverit, cumque Piligrinus hanc Metropolin Laureacensem restituerit, & nullus ab eo tempore Passaviensis legatur Episcopus,

pus, qui Laureacensis Archiepiscopus Sæc. XVIII.
 tus honore fulisset. Nihilominus ta- A. C. 1728.
 men hæc controversia continuata est
 usque ad Sæculum XV. ubi Georgius
 de Hochenloe Passaviensis Episcopus
 a Joanne XXIII. in Constantiensi Sy-
 nodo Anno 1415. die 1. Februarii Con-
 stitutionem obtinuit, in qua Pontifex
 declaravit, quod *motu proprio, non ad*
alicujus super hoc oblatæ petitionis instan-
tiam Ecclesiam Pataviensem ab omni sub-
jectione Archiepiscopi Salisburgensis suo-
rumque Successorum, & jure legationis
eorundem omnino eximat, ac perpetuo libe-
ret, eidemque Georgio Episcopo, & ejus
Successoribus jus utendi pallio in perpe-
tuum indulgeat. Reponebant tamen
 Salisburgenses, jus Metropoleos sibi
 jam sub Ottone III. Imp. fuisse asser-
 tum & a pluribus Pontificibus confir-
 matum, quocirca Martinus V. urgente
 Eberhardo Salisbur. Anno 1418. hoc
 exemptionis privilegium revocavit,
 illud vero Anno 1420. iterum Passa-
 viensibus restituit, mox autem retra-
 ctavit, ac tandem unice Georgio Epi-
 scopo, non autem ejus Successoribus
 exemptionis gratiam concessit. Nec
 tamen propterea hæc controversia erat
 extincta; instante enim Salisburgensi
 Archiepiscopo causa hæc denuo Romæ
 discussa est, ubi a Rotæ Romanæ Au-
 dito-

Sæc. XVIII. A. C. 1728.
 ditioribus Mense Novembri Anno 1691. & Mense Februario 1693. in Salisburgensium favorem pronuntiabatur, Passaviensibus etiam *non absque nota litis temerariæ* ad expensas condemnatis. Nihilominus Joannes Philippus Cardinalis de Lamberg Passaviensis Episcopus Romam profectus, ab Innocentio XII. *per viam gratiæ* petiit, ut vel Suam Ecclesiam a jure Metropolitico Salisburgensis Archiepiscopi eximeret, vel eam ad Archiepiscopalem dignitatem eveheret. Hanc petitionem ipse etiam Imperator valido fovebat patrocinio, re tamen ad institutam sex doctiorum Cardinalium Congregationem delata ac maturius discussa Pontifex Anno 1695. censuit, in neutro Passaviensium petitio esse deferendum. In eo statu hæc causa perstitit, donec Carolus VI. Imperator quemdam Passaviensis Diæcesis districtum ad extendendam Viennensis Archiepiscopi jurisdictionem cedi, a Josepho Dominico de Lamberg Passaviensi Episcopo peteret; tum enim Hic Viennam Anno 1724 delatus, expositis, quæ obstarent difficultatibus, cum Cæsare egit, & quamvis impetrandæ exemptionis spes maxima affulgeret, in hanc tamen districtus cessionem non consensit, sed totum hoc negotium, ob

ob acerrimam Capituli Cathedralis oppositionem, Romam ad Sacrae Sedis decisionem devolvi petiit. Ibi sollicitante ipso Imperatore Pontifex denuo hanc causam serio agitari praecipit, tandem vero hanc cessionem ratam habuit. atque in damni compensationem hoc anno Episcopo non modo ob ejus merita, & Pastoralem Zelum, sed & propter veteris Ecclesiae Laureacensis praerogativas ex plenitudine potestatis hoc anno die prima Junii concessit, ut *Episcopatus Passaviensis ab Archiepiscopatu Salisburgensi in omnibus, nisi quoad Synodalia tantum, in perpetuum sit exemptus.* Juvat desuper integram Benedicti XIII. Constitutionem huc adducere.

Sæc. XVIII.
A. C. 1728.

Memorat igitur Pontifex, Lauriacensis Ecclesiae Metropolitanam „*Se-*
„*dem in Norico Ripensi a primis Ec-*
„*clesiae sæculis exstructam, & tan-*
„*quam murum pro Domo Israel ad-*
„*versus Christiani nominis hostes per*
„*sanctissimos Evangelii praecones fun-*
„*datam, ac Martyrum quoque pur-*
„*pura ornatam, quam ex Cathedrae*
„*Sirmiensis in Pannonia extinctione*
„*haud parum subinde auctam, Ante-*
„*cessores nostri Romani Pontifices,*
„*priusquam illustrem civitatem bar-*
„*bari vastassent, & postquam etiam*

Uu 5

„sa-

Sæc. XVIII. „sacerdotale ejus fastigium Pataviam
A. C. 1728. „seu Passavium in Vindelicia, Norico
 „ipsi contermina, translatum, ibi no-
 „vam Ecclesiam constituit, singulari-
 „bus privilegiis beati Petri sibi am-
 „plius ornandam susceperunt. Etenim
 „Symachus Papa Theodoro Laureacensi more majorum Pallii Archiepiscopalis usum largitus, Sedem ejus non unius Norici Ripensis, sed etiam Pannoniarum Matrem esse voluit: Quod postea in subsequenti-um Romanorum Pontificum piæ memoriæ decessorum nostrorum, Eugenii II. Agapeti II. Leonis VII. & Benedicti VII. Apostolicis literis ad Laureacenses Præsules scriptis memoratum occurrit: Qui quidem Agapetus Legationem suam eidem adjunxit; Benedictus vero inter utramque Ecclesiam, Salisburgensem nimirum & Laureacensem, limites constituit: Quamvis postea Laureacensis Ecclesiæ culmen Pataviæ consistens eo sæpe devenerit, ut varias & complures calamitates, ac vices ob magnam quoque Salisburgensium Archiepiscoporum potentiam & auctoritatem subire comperit, modo Archiepiscopi, modo etiam Episcopi elogio honestatum, ac veteri jure suo, insignibus, titulisque ac pristinæ Laureacensis Diœcesis
 „am-

„amplitude non parum imminutum.
 „Non ideo tamen unquam Præsules
 „Ecclesiæ Pataviensis, cui antiquæ
 „Diœcesis Laureacensis maxima pars
 „unacum ipsa civitate Laureaco etiam-
 „num subest, veterem Pallii usum
 „postliminio recuperandi, animum de-
 „sponderunt. Imo Georgius Patavien-
 „sis Episcopus in Concilio Constantiensi
 „a Balthassare Episcopo Cardinali Tu-
 „sculano tunc in sua Obedientia Jo-
 „hannæ Papa XXIII. pro se suisque in
 „Ecclesia Pataviensi Episcopis Succes-
 „soribus, a quocumque jure metropo-
 „litico & legationis Apostolicæ Archi-
 „episcopi Salisburgensis omnimodam
 „exemptionem obtinuit unacum usu
 „Pallii. Hoc ex Johannis literis ea-
 „de re conscriptis constat, quas fe-
 „licis recordationis Decessor noster Mar-
 „tinus Papa V. Florentiæ confirmans,
 „eidem Georgio rursus hujusmodi exem-
 „ptionem & usum Pallii benigne con-
 „cessit, ut in ejus literis tunc promul-
 „gatis plenius continetur: Quæ postea
 „literæ ab eodem Martino V. Romæ
 „constituto abrogatæ & revocatæ fue-
 „runt; ita tamen, ut idem Georgius
 „toto vitæ suæ tempore unacum sua
 „Ecclesia & Diœcesi impetratis gau-
 „deret, nec sub eadem revocatione
 „& Salisburgensis Metropolis sub-
 „jectio-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1728.

Sæc. XVIII. „jectione ullo pacto comprehende-
 A. C. 1728. „retur.„

„Quare inter Georgii Episcopi Suc-
 „cessores ex una, & Salisburgenses
 „Archiepiscopos ex altera, partibus,
 „nonnullæ discordiæ & controversiæ
 „aliquando exortæ fuerunt, quæ postea
 „in apertam litem inter bonæ memo-
 „riæ Johannem Philippum sanctæ Ro-
 „manæ Ecclesiæ Cardinalem, a Lam-
 „berg nuncupatum, Episcopum Pata-
 „viensem ex una & Salisburgensem
 „Archiepiscopum ex altera, partibus,
 „eruperunt. Hæc porro lis ad judi-
 „cium Apostolicæ Sedis perlata, coram
 „judicibus competentibus in nostri Pa-
 „latii Apostolici caussarum Auditorio,
 „sive in particulari hac de re Congre-
 „gatione per hanc Sedem Apostolicam
 „deputata, vel in Congregatione sanctæ
 „Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Con-
 „cilii Tridentini interpretum, aliove
 „Romanæ Ecclesiæ Tribunali, non sine
 „ingenti utriusque partis dispendio
 „acta est super omnimoda exemptione
 „Ecclesiæ Pataviensis, ac super ejus-
 „dem restitutione in dignitatem Ar-
 „chiepiscopatus Laureacensis superque
 „jure metropolitico, quod in Eccle-
 „siam Pataviensem Salisburgensis Ar-
 „chiepiscopus se habere contendebat.
 „Quum vero lis ita, ut diximus, ex-
 „cita-

„citata, atque introducta, a pluribus Sæc. XVIII.
 „annis agitaretur, piæ memoriæ An- A. C. 1728.
 „tecessor noster Innocentius Papa XII.
 „eam ulterius procedere vetuit: Unde
 „hujusmodi controversia adhuc repe-
 „ritur & pendet indecisa; Licet pro
 „Archiepiscopo Salisburgensi quædam
 „Auditorum Palatii nostri Apostolici
 „decisiones sive sententiæ cujuscumque
 „tenoris, vel alterius cujuscumque
 „Romanæ Ecclesiæ Tribunalis aut Con-
 „gregationis deputatæ, olim prodie-
 „rint. Hinc nos dignam hujusmodi
 „controversiam reputantes, quæ tan-
 „dem inter animarum Pastores, quos
 „Paulus Apostolus noluit esse litigio-
 „sos, perpetuo sopiatur, & Pataviensis
 „Ecclesia ob veterem, celebremque
 „originem suam magni facienda tran-
 „quilla pace donata, in pristinam suam
 „exemptionem, atque insignia restitua-
 „tur, vel etiam denuo illustrata & post-
 „limnio antiquis suis privilegiis munita
 „confurgat, paterno Apostolicæ cari-
 „tatis instinctu hujusmodi pacem at-
 „que unitatem inter primarios illust-
 „rium Ecclesiarum Antistites confo-
 „veri impostero peroptantes, omnia
 „& singula hucusque præmissa, tam-
 „quam vere Nobis exposita, ac satis
 „probata & ostensa, accipientes, ut
 „carissimi etiam in Christo filii nostri,
 „Ca-

Sæc. XVIII. „Caroli, Hispaniarum Catholici & Ro-
 A. C 1728. „manorum Regis illustris, atque Im-
 „peratoris electi ferventibus votis ob-
 „secudemus, quæ per Dilectum Fi-
 „lium nostrum Alvarum sanctæ Ro-
 „manæ Ecclesiæ tituli sanctæ Bartho-
 „lomæi in insula Presbyterum Cardi-
 „nalem, Cienfuegos nuncupatum, a-
 „pud Nos Ecclesiarum Germaniæ Com-
 „protectorem, identidem Nobis expo-
 „sita innotuerunt, motu proprio, ex
 „certa scientia & deliberata voluntate
 „nostra, deque plenitudine Apostolicæ
 „potestatis omnem hujusmodi litem,
 „& causam, a multis annis indecisam
 „adhuc pendentem, & quamcumque
 „aliam controversiam, de præmissis
 „quomodolibet hactenus excitatam,
 „sive excitandam, ad Nos Apostolica
 „auctoritate avocantes extinguimus &
 „abolemus, atque ad Nos ipsos avoca-
 „tam, extinctam & abolitam esse volu-
 „mus & declaramus, ne amplius di-
 „catur: *unde bella & lites in vobis?* Qua
 „in re Antecessorum nostrorum Romano-
 „rum Pontificum exempla præ oculis
 „habemus, qui diuturnas hujusmodi li-
 „tes inter insignium Ecclesiarum An-
 „tistites olim exortas, & plurium Sæ-
 „culorum spatio agitatas, sua auctori-
 „tate extinxerunt. Ita enim piæ me-
 „moræ Antecessor noster Alexander
 „Pa-

„Papa III. Litigia inter Patriarchas Sæc. XVIII.
 „Aquilejensem, & Gradensem sua au- A. C. 1728.
 „toritate ad finem perduxit; ita fe-
 „licis recordationis Antecessor quoque
 „noster Innocentius Papa III. inter Tu-
 „ronensem Archiepiscopum & Dolen-
 „sem in Britannia minori Antislitem
 „lites & contentiones diremit, ita
 „denique similis memoriæ Nicolaus
 „Papa V. jurgiis & quæstionibus inter
 „Gradensem Patriarcham, & Olivo-
 „lensem seu Castellanum tunc civitatis
 „Venetiarum Episcopum, supremum
 „finem imposuit, „

„Nos igitur præeuntibus his exem-
 „plis instructi, ut omnis occasio quo-
 „rumcumque dissidiorum & contentio-
 „num inter Salisburgensem Archiepi-
 „scopum & Pataviensem Episcopum,
 „nunc & pro tempore perpetuis futu-
 „ris temporibus e medio tollatur, in-
 „terque utriusque Ecclesiæ Capitula,
 „& Canonicos, sacrosque Ministros,
 „& cæteros quoscumque, etiam spe-
 „ciali mentione dignos, in lite &
 „caussa prædictis rem habentes, seu
 „quomodocumque se habere conten-
 „dentes, perpetuum silentium aucto-
 „ritate Apostolica imponimus, districte
 „præcipientes, & omnino inhibentes,
 „ne deinceps iidem se invicem, vel
 „quisquam illorum alterutrum vexare,
 „per-

Sæc. XVIII. „perturbare & molestare audeat sive
 A. C. 1728. „præsumat sub pœnis nostro & Suc-
 „cessorum nostrorum Romanorum Pon-
 „tificum pro tempore existentium ar-
 „bitrio infligendis; idque perpetuis
 „futuris temporibus ab utraque parte
 „debere observari volumus & fanci-
 „mus. Præterea ob eximiam præstan-
 „tiam, qua Sedes Episcopalis Pata-
 „viensis, alias Archiepiscopalis Lau-
 „reacensis olim fuit honestata, super
 „his matura & seria animi nostri cogi-
 „tatione excitati, ad ejusdem Eccle-
 „siæ honorificentiam & dignitatem
 „Pontificalem magis augendam atque
 „intuitu meritorum, erga Nos & Apo-
 „stolicam Sedem Venerabilis Fratris
 „nostri Josephi Dominici Pataviensis
 „Episcopi sanctiori Disciplina & Domus
 „Dei Zelo præcipue commendandi,
 „eundem Josephum Dominicum atque
 „ejus legitimos Successores Ecclesiæ
 „Pataviensis Episcopos pro tempore
 „existentes, qui inter Germanici Im-
 „perii Principes non infimum locum
 „habent, tenore præsentium in Jus
 „Pallii de corpore beati Petri sumendi,
 „statisque diebus & locis adhibendi,
 „& Crucis prævie ferendæ, quibus
 „olim Archiepiscopi Laureacenses, &
 „Patavienses Episcopi potiti fuerunt,
 „in perpetuum Apostolica auctoritate
 „in-

„integramus & restituimus, five Archi- Sæc. XVIII.
 „episcopalia insignia, Pallium & Cru- A. C. 1728.
 „cem eidem Josepho Dominico Epi-
 „scopo ejusque Successoribus denuo
 „in perpetuum concedimus, atque in-
 „dulgemus, ita, ut idem Josephus Do-
 „minicus Episcopus & ejus Successores
 „Archiepiscopatum hujusmodi insi-
 „gnium ornatu & plenitudine libere
 „& licite uti possint & valeant, eo modo,
 „quo Ticinensis & Lucensis Ecclesia-
 „rum Antistites uti consueverunt. Ad
 „hæc eundem Josephum Dominicum
 „Episcopum, ejusque Successores &
 „Ecclesiam Pataviensem, Capitulum,
 „& Canonicos totamque ejus Diæce-
 „sim, Clerum & Populum & quascum-
 „que Prælaturas, dignitates, Perso-
 „natus & Officia & Beneficia Eccle-
 „siastica cum cura & sine cura, Sæ-
 „cularia & Regularia quorumvis Or-
 „dinum in civitate, & Diæcesi Pata-
 „viensi instituta, vel in posterum ca-
 „nonice instituenda, quibuscunque no-
 „minibus censeantur, una cum omni-
 „bus eorum Juribus, & pertinentiis,
 „bonisque mobilibus, & immobilibus,
 „quæ nunc possident, & deinceps,
 „favente Domino, possidebunt, & ac-
 „quirere poterunt, ab omni, & qua-
 „cumque subjectione, Jurisdictione,
 „Superioritate, Dominio, potestate,
 Hist. Eccles. Tom. LXXII. Xx „&

Sæc. XVIII. „& Metropolitico Jure Ecclesiæ Salis-
 A. C. 1728. „burgensis, ac illius Archiepiscopi &
 „Successorum quorumcumque, nec-
 „non a Jure Legationis Apostolicæ in
 „Provincia Salisburgensi tenore præ-
 „sentium eximimus, subtrahimus, &
 „liberamus, perpetuisque futuris tem-
 „poribus undequaque eximi, subtrahi
 „ac liberari volumus; Eundemque Jo-
 „sephum Dominicum Episcopum, il-
 „liusque Ecclesiam Pataviensem, Ca-
 „pitulum, & Canonicos, Clerum, &
 „Populum, necnon quascumque Per-
 „sonas ac Beneficia prædicta, totam-
 „que ejus Diæcesim Pataviensem in
 „Jus & proprietatem Sedis Apostolicæ,
 „& sub ejus nostra speciali & imme-
 „diata protectione suscipimus, Nobis-
 „que & Romanis Pontificibus Succes-
 „soribus nostris nullo medio, in per-
 „petuum subesse decernimus, atque
 „statuimus. Volumus tamen & ex-
 „presse præcipimus, & mandamus,
 „ut eidem Episcopo Pataviensi onus
 „incumbat eligendi Archiepiscopum
 „Salisburgensem pro suo Metropolitano
 „ad Concilii Tridentini, atque etiam
 „ultimi nostri Romani tenorem, cum
 „obligatione conveniendi ad concilia
 „Provincialia tantum, ab eodem Ar-
 „chiepiscopo indicenda: Quæ quidem
 „electio Metropolitanæ Salisburgensis
 „eun-

„eundem Pataviensem Episcopum ejus-
 „que Successores afficere & obligare
 „omnino intelligatur, ita ut ille vel
 „illi nullum alium nisi Salisburgensem
 „Archiepiscopum eligere valeant, & ad
 „Concilium Provinciale prædictum ac-
 „cedere omnino teneantur.”

Sæc. XVIII.
 A. C. 1728.

Promulgata hac Pontificis decisio-
 ne Salisburgensi Archiepiscopo nil re-
 liquum erat, nisi jus suas exponendi
 querelas, & protestationes, quas ut-
 pote adhuc licitas ipsa Sedes Romana
 nec ægre fert, nec ferre potest; quo-
 circa etiam hic Archipræsul, Romæ
 & Viennæ in comitiis desuper recla-
 mabat, ac vehementer de hac con-
 cessione querebatur, uti suo loco re-
 feremus.

§. LIV.

*Passaviensis Capituli oppositio con-
 tra dictam cessionem ab Episcopo
 factam.*

Postquam Carolus VI. Imperator (ut *Vide supra*
 supra meminimus) Viennensem *l. 221. t. 71.*
 Ecclesiam ad Archiepiscopalem evehi *pag. 151.*
 obtinuerat, ad ampliandam hanc Diæ-
 cesin illum districtum, qui se infra Vien-
 nensem Sylvam protendit, a Passa-
 viensi Ecclesia avelli, ac Viennensi
 auctoritate Apostolica adjici petiit. Ob-

X x 2

lucta-